Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26144
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dilectus est. Tu autem si dilexeris eum servum, magnum lucrum faciens effi-
ceris deo similis. Vides quia nichil gratiae praestes illis, sed tibi ipsi meritum
enim non illi sed tibi comparas. Quis ergo inquis sit malignus, tanto amplius erit
et merces. Pro malignitate sua debes illi gratiam, et multa milia
beneficiorum suscipiens adhuc malus permanens. Si enim non esset
valde malus, neque ibi merces valde cresceret. Proinde causa non
amandi et dicendi quia malus est, causa est amandi. Aufer certamen
vel certatorem, et auferes occasiones coronarum. Non intueris
praecones quomodo saccolos arena replentes ita exercentur, tu autem
opus non habes studium his impendere. Plena est vita humana exer-
citantium te et facientium fortiorem. Non vides quia et arbores quanto
ventis commoventur, tanto amplius fortiores efficiuntur et densae.
Et nos ergo si fuerimus longanimes, fortiores erimus. Vir longa-
nimis inquit multus est in sapientia. Qui autem est pusillanimis,
fortiter stultus. Intueris quanta huius viri laus est, et quanta illius excusa-
tio: fortis inquit stultus, hoc est valde stultus. Proinde non simus
pusillanimes adversus eum; non enim hoc ex inimicitiis contigit, sed ex pu-
sillanimitate animi. Si vero fortis, omnia facile tolerat et to-
lerat et nichil eum poterit demergere, sed ad tranquillos eos por-
tus adducet. Quos contingat nos omnes adipisci gratia et misericordia domini
nostri Iesu Christi, cui cum patre una cum spiritu sancto gloria honor nunc et semper et in saecula
saeculorum. Amen.

Explicit sermo XVIII. Incipit sermo XIX.

SPONTE ENIM peccantibus nobis postquam accepimus veritatis
agnitionem, non relinquitur hostia pro peccatis. Terribilis autem
est exspectatio iudicii, et ignis zelus consumpturus adver-
sarios. Arbores quae institutae sunt, et certam habuerint diligen-
tiam